



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Ignorantiæ malum quod, deque quatuor eius speciebus, & de septem
gradibus reciduationis in peccatum. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Macula proprie dicitur in corporalibus, quando corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis. Sic in anima fit quidam contactus, cum per amorem inordinatum aliquibus rebus inhæret. Quod quia facit contra lumen rationis, & diuinæ legis, ideo delinquit, & maculam animæ contrahit: quæ macula non est aliquid positiuè, sed significat priuationem quædam nitoris in ordine ad causam suam, quæ est peccatû, quod interponitur causans vmbra quandam & obtenebrationem in anima. Nam vmbra causata ex obiectu corporis alicuius ad speculum, non solum causat priuationem luminis in speculo, sed etiam causat in eo similitudinem corporis vmbra causantis. Hinc diuersa peccata diuersas maculas causant in anima. Causat insuper in anima reatum pœnæ, in quantum transgreditur ordinem diuinæ iustitiæ. Nec solum facit eam ream pœna æterna secundum durationem, sed etiam pœna infinita secundum quantitatem: quia duo sunt in peccato. Primum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum, & per consequens peccatum est infinitum. Cui peccato correspondet pœna damni, quæ est infinita secundum quantitatem, quia est amissio boni infiniti. Secundum est, inordinata conuersio ad bonum commutabile, cui correspondet pœna sensus, quæ erit infinita secundum quantitatem, sed non secundum durationem, quia correspondet durationi culpæ: non ex parte actus, sed ex parte macula, qua durante, manet reatus. Perseuerat autem macula quando perseuerat voluntas, id est, quosque voluntas iterum conuertatur ad incommutabile bonum. Quæ voluntas in bonum de cætero mutari non potest in damnatis, cum sit in malo firmata. Voluntas enim in auersione boni incommutabilis in morte perseuerans obstinata, æternaliter punitur. Iustum est enim, secundum Gregorium, quod qui in suo æterno peccauit, in æterno Dei puniatur. Ex hoc enim, quod finis suum in peccato constituit, in æternum peccandi voluntatem habuit. Cui Chrysostomus: Dic inquit, quanta tempora luxuriæ, quæ deliciarum spacia, comparare vis pœnis æternis? Centum annos (si placet) delicijs demus, adde & alios centum, adde decies ceterum: quæ erit ex his ad æternitatem comparatio?

Ignorantiæ malum quod, de quæ quatuor eius speciebus, & de septem gradibus reciduationis in peccatum.

Cap. III.

P 2

Si ignoras

Ignorantia
& cæcitas
animæ v. l.
de.

Ignoras te ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi poss
vestigia gregum. Cant. 1. Hanc ignorantiam & cæcitatem
in homine causat elongatio à Deo. Sicut enim Deum ac-
cedimus amore bono, sic ab eo recedimus amore malo.

Psalm. 33.
Sapient. 2.

Quare peccator longè abisse dicitur, non loco, sed dissi-
militudine, scilicet mala vita, malis moribus, quò tendit per dilectio-
nem malam. Et sicut accedentes illuminantur, iuxta illud Psalmistæ:
Accedite ad eum, & illuminamini: sic recedentes excæcantur, iuxta il-
lud libri Sapientiæ: *Excæcavit eos malitia eorum*. Vnde Gregorius de
excæcatione Sampsonis dicit, quòd prius intellectus obtunditur, & po-
stea animus ad exteriora vagatur, ut cæca mēs, quò ducitur, nesciat, &
carnis illecebris se libenter subdat: sicq; paulatim egreditur ad pacen-
dum hædos suos, id est concupiscentias & passionem inordinatas. Quas
ad numerum quaternariū redigere placuit, tāquam quatuor filias dia-
boli, quas omnibus suis prostituit, quia quatuor capita sunt & initia
omnium vitiorum.

Ignorantia
profluxus.

Superbia.
Eccli. 10.
Invidia.

Primum est superbia, quæ est initium omnis peccati in Deum com-
missi, utpote quò Deo similis esse voluit. Secundum est invidia, in-
itium omnis peccati in proximum commissi, quo mors intrauit in
orbem terrarum. Et hæc duo diabolo videntur indita, non natura, sed

Sapient. 2.

corruptione, quasi duæ filia genitæ ex tam pessimo patre. Vnde com-
plectentes eandem, non immeritò filij diaboli nuncupantur, dicente

Ioan. 8.

Domino Iudæis elatis & invidis: *Vos ex patre diabolo estis*, & opera pa-
tris vestri facere vultis: quia tanquam ex appropriatis sibi vitijs in da-
mnationem aeternam regenerati, eandem hereditatem consequentur,

Matth. 25.

quæ licet parata legitur *diabolo & angelis eius*, propter cõformitatem
tamen spiritualis corruptionis concluditur etiā maleuolis homini-
bus. Alia verò duo, scilicet cupiditas, quæ est initium omnis peccati in

Cupiditas.
Voluptas.

res exteriores: & voluptas, quæ est initium omnis peccati in seipsum, sunt
capita & initia vitiorū carnaliū, sicut priora vitiorū spiritualium. Quæ
licet extra diaboli naturā esse noscuntur, cum nec voluptatibus, nec

Freuer. 30.

cupiditatibus fruitor, sunt tamen eius filia fœdæ, quas ipso suggerente
sibi pro dolor, Eva mater infelicitate genuit, dum insipienter consen-
sit, fructum vitæ cupiditate ducta rapiendo, & voluptate victa degu-
stando, de quibus filiabus dicitur in libro Proverbiorum: *Sanguisuga
duæ sunt filie, dicentes: Adfer, adfer*; quia nec corpus voluptate, nec cor
cupiditate satiari potest. His igitur incautus lethali dispendio per gra-
dus

dius quosdam elongatur à Deo. Primò, plus diligendo creaturam, quam Creatorem, quamuis actualiter eadem creatura nõ abutatur. Sicut paratum habens animum potius velle transgredi diuinum mandatum, quam suscipere aliquod notabile incommodum, aut dimittere aliquod notabile commodum, boni, vtilis, honesti, vel delectabilis. Sicut *adulescens* ille diues, qui Domino respondit, *à iuuentute se seruasse omnia mandata*. Sed audiens: *Vade, & vende omnia*, tristis abscessit, quia bona nimis dilecta deserere noluit: potius eligens à Christo, quam à bonis separari. Tales igitur licet quantum ad actum exteriorè adimplere præcepta videantur, non tamen quantum ad debitam intentionem finis, quæ propter priuatam dilectionem ad seipsam semper est recurua, non filij, sed mercenarij effecti, quorum *oculus intentionis est nequam*, & ideo *totum corpus* bonorù operum est *tenebrosum*. Quamdiu namq; quis ex aliqua quantumcunque ardua suppositione se sentit velle peccare mortaliter, tamdiu semper in peccato mortali remanet, licet tali suppositione non occurrente, actu mortaliter peccare nõ videatur. Secundo autè, abutendo creatura plus dilecta, quia miseri, postquã à Deo sunt auerfi, faciliter incipiunt creaturis, id est, seipsis, vel etiam alijs abuti. Nam auersione facta à bono incommutabili, deperit int eis sapor spiritualis demerito peccati: quapropter ad sensualem gustum se conuertentes, sub mundana dulcedine veneni virus insuntunt. Dicitur enim in Prouerbij, quod *sanguisuga*, id est, diaboli, *duæ sunt filie*, quas velut meretrices auerfis mentibus prostituit, scilicet voluptas, & cupiditas, quæ sunt in abusione creaturarum, *dicentes: Adfer, adfer*, quia nec corpus voluptate, nec cor cupiditate satiatur: & vt dicitur in Prouerbij, *omnes qui ingrediuntur ad eam*, id est, vnam ex duabus, *nõ reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ*. Tertio, non tantum in criminibus delectando, sed etiam gloriando, ita quò plus superbit, quò plus peccat: sicut diabolus prius superbiens (de natura, quæ fuit opus Dei), postea superbit de culpa quæ fuit opus suum. Similem lapsum fortiuntur, qui peccant ex malitia, quibus ipsa peccati malitia placet, *qui lætatur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*. Quibus impropèratur in Psal. *Dilexisti malitiam*, id est, non tantum fecisti, sed etiam dilexisti, (quod est maioris peccati) *malitiam super benignitatem*, quia etfi benignitas quandoquetangit animum eius, statim tamen refugit ad malum; & tunc venit ad contemptum, de quo dicitur in libro Prouerbiorum:

P 3.

biorum:

Gradus elationis à Deo septē.

I.

Voluntas peccandi.

Matth. 19.
Marc. 10.Matth. 6.
Lucæ 11.

II.

Peccare actualiter.

Prouer. 30.

Prouer. 2.

III.

Gloriatio in peccatis.

Prou. 2.

Psal. 51.

biorum: *Inpius cum in profundum venerit malorum, continet, qui contemptus considerare non sinit peccatorum enormitatem & gratuitatem, nec futuram calamitatem.* Vnde Augustinus in Enchiridio: *Pecata quamuis, inquit, magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeo, vt non solum non occultanda, verum etiam praedicanda, diffamandaq; videantur.*

III.
Studiositas
peccandi.
Eisl. 30.

Quarto, proinde male agendi studiositatem quandam exhibendo, de qualibus dicit Psalm. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Ibi: igitur secundum inclinationem fomitibus ad malum, in adinventionibus suis, id est, in peccatis enormibus ab ipsis adinuenitis, quam adinventionem causat illa studiositas, quae tantas abominaciones adinuenire solet, quod eas nec nominare nec recollere fas est.*

V.
Obliuio
Dei & salutis.
Gene. 3.
2^a Tim. 4.

Quinto, siquidem per hanc diuinam studiositate subreperere solet obliuio Dei, & omnium, quae pertinent ad animae salutem: quod notatur per illud Genesios: *Saper peccatus tuum gradieturis*, eo quod per reminiscenciam diuinarum miserationum quali nunquam talis esset erigendus. Vnde nec bonum audire dignatur, iuxta illud Apostoli: *Multi sana doctrinam non suslinebunt, sed coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. Et a veritate quidem auditum auerent, ad fabulas autem conuertentur.*

VI.
Obstinatio.
Eccles. 7.

Sexto, perueniendo in peccatorum obstinationem & defensionem, quae frangi potest, sed ad poenitentiam flecti non potest, quia, vt dicitur in Ecclesiaste, *nemo corrigere potest, quem ille, scilicet Deus, despecterit.* Et sic malitiam defendit agnitam, & veritatem impugnat agnitam, vt liberius peccet. Septimo, denique non contentus propria perditione, se pro posse constituit auctorem perditionis alienae, secum alios trahens in eandem damnationis voraginem. Gaudet enim inuenire sibi similes in malitia, virtuosus inuidens, persequens, deridens, & detrahens. Quod a nobis auertat Iesus.

VII.
Corruptio
re alios.

Quod iustificatio quatuor per ordinem requirit, & quomodo Deus pulsat ad ostium anime. Cap. IIII.

Ioan. 8.



Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Canticor. VI. Quasi diceret: O Sunamitis, id est, anima misera, pro peccato captiuata, (na qui facit peccatum, seruus est peccati) reuertere primo a contemptu: secundo, a consuetudine: tertio, ab opere: quarto, a consensu